

45K AB
DE
SATISFACTIONE PERSONIS
INPRIMISQVE FEMINIS ILLVSTRBVS DE
INVRIIS ACCEPTIS PRAESTANDA

DISPVLTATIO IVRIS PVBLICI

Q V A M

A V C T O R I T A T E

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

D. CAROLO HENRICO GEISLERO

O R D I N A R I O

A. D. V. IVLII AN. CICCCCLXXXIX

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

CHRISTOPHORVS CAROLVS STVEBEL

P AVSITIO MISNICVS.

VITEBERGAE

E K O F F I C I N A D Ü R R I A.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO
W V R M B

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE
INTIMAE ET SANCTIORIS ADMISSIONIS
ADMINISTRO COMITIQVE CONSISTO-

RIANO REL.

HANC DIATRIBEN
DEMISSISSIMAE PIGNVS PIETATIS

D. D. D.

IMA PARENDI LEGE CLIENS

A V C T O R.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

OF LEEDS ENGLAND

CHURCH LIBRARIES OF SAXONIA
LITERATURA SANCTAE TRINITATIS
ADAMUS LIBRARY CONSERVATION

PRINTED BY

HANC DIATRINUM
DE MUSICA ET LITERATIS

PRINTED BY J. C. WOLFGANG

A. O. T. A.

*EXCELLENTISSIME
ILLVSTRISSIME QVE DOMINE
DOMINE INDVLGENTISSIME*

*E*t si semper consuetudinem eorum improbandam esse duxi,
qui longam causarum seriem, cur nomine magni viri
libellum suum insignire ausi sint, conquerunt, atque oratione,
coloribus adscitis adspersa, et blanditiarum quasi suco obdu-
cta, ingenii foetus aliorum patrocinio obtrudunt: facile ta-
men, cum *TVVS* erga me conspicuus fauor iustum nec com-
mentitiam causam suppeditare videretur, nihilque, ut ad illo-
rum similitudinem accederem, verendum esset, adduci me passus
sum, ut huius libelli, qualiscunque tandem sit, limatissimo *TVO*

CHRISTI HOCAS CAROLAS STYLIS

et

LEGATUM

et acutissimo iudicio subiiciendi nominique TVO dicandi amplecterer consilium. Enimvero cum in beneficiis ponderandis haud parum efficere debeat, si quod nobis tributum est, ei, qui tribuit, carum esse constet; haec sane cogitatio eo acrius calcar admouebat animo, ut cupiditati potius, quam modestiae obsecundarem meae, ignarus quippe, quo tandem alio signo reuerentiam, meamque erga TE pietatem declarare possem. Credas, quaeſo, PATRONE, me semper eo enixurum esse, ut talis reperiar, qualem me esse cupis, meque hoc futurum animo, ut diutius mihi ipſe placere non possim, quam haec mihi ratio placuerit.

EXCELLENTIAE TVAE ILLVSTRISSIMAE

Scribebam Vitebergae

c I o C C L X X X I I X .

additissimus cliens
CHRISTOPHORVS CAROLVS STVEBEL.



I.

et superius, siue, ceteris, deinceps, cum dicitur, quod non
admodum audire, tunc obsequio, nisi est in aliis, utique
Quanquam arbitrabar, fore haud paucos, qui mirentur, cur, cum
iurisprudentiae campus tam late longeque patet, scribendisque
copiam largissimam praebat, menti potissimum iniuriae feminis
illustribus illatae obversatae fuerint, eamque materiam ceteris practule-
rim: res tamen ita let ad utilitatem fructuosa, et ad iucunditatem uberrima
videbatur, vt, cum primum de ea cogitasset, omnem dubitationem,
de qua re tandem scriberem, euaniuerem, atque exentam mihi esse senti-
rem. Huc accedit, quod hanc materiam nostro insprimis tempore esse
accommodatissimam et convenientissimam putarem. Quis enim est, quem
lateat, qua suroris rabie homines illi fluctuos et vehementioris ingenii
SERENISSIMAM GUILLEMINAM ARAVSTIONENSEM adorti sue-
rint? Magis autem me deterrebat ab hoc consilio argumenti grauitas,
et impedimenta huic rei adstricta, ad quae superanda, et amolienda in-
genti eruditionis copia, et ingenii acuminis opus est. Quae quam parum
in me eadant, multum abest, quin diffitear. Nihilot tamen secus omnem
metum ac timorem euulsum, ac propulsatum reperti, cum cogitatio sub-
nasceretur animo, viros eruditos, eosque non austeros, in iuuenium opel-
lis non requirere hoc, vt rem exhaustam absolutamque esse videant, sed in
voluntate fere acquiescere.
Quoniam autem summa huius disputationis ntititur iuris naturae et
gentium doctrina, huiusque principia nisi recte enucleata cum statu ciuili
conferamus, omnis res titubat atque vacillat, ita semper in singulis capi-
tibus

A

tibus



tibus versabimur, ut hanc rem primum examinemus ad iuris naturae leges, deinde vero doceamus, an, et quomodo sit inuersum et immutatum. Priusquam vero ad rem ipsam nos accingamus, tam injuriarum, quam illustrum personarum efformemus notionem, adiungamusque diuersam illustrium conditionem, cum vel plane independentes, vt solenni vocabulo vtar, imperium gerant, vel aliis subiecti superioritate territoriali fruantur, vel etiam regimine plane careant, sigillatimque videamus, quomodo praestanda iis discrepet satisfactio, quamque illustres in genere ab aliis hac dignitate destituti sumere possint vindictam.

§. I.

Iam si quis iura naturae, quae dicuntur perfecta, euerit, iisque refragatur, siue ea iusto latius extendendo, siue archioribus limitibus circumscribendo, is injuriae, sensu latiori, reus habetur. Consideranda igitur ea est ab utraque parte, et laudentis, et laeti, ita, ut ille injuriae notam sibi contrahat, simulac maiora sibi arrogauerit iura, quam ius naturae tribuit, hic autem iniuria se oneratum recte conqueratur, cum re vera ex violatis iuribus suis perfectis damnum enatum fuerit. Haec si ad statum ciuilis transferas, omne id, quod eius consilio, legibusve aduersatur, iniuriam quoque dicimus.^{a)}

Iam vero cum tantum nobis de forma quadam iniuriae, violatorum que jurium perfectorum, scilicet de ea, quae existimationem, et famam hominum vulnerat, agendum sit, sensu strictiorum amplectamur, indulgemusque, quomodo in statu naturae eiusmodi iniuria in sensu strictiori locum habeat, deinde quamnam ius ciuale ei subiiciat notionem. Ex libertatis naturalis indole, qua homo nullius voluntati obnoxius suum iudicium sequitur, fluit, penes cuiuslibet arbitriorum esse, quando, et quae ratione mentem suam aperire velit, modo aliorum iurat inde ne vulnerentur, et imminuantur. Enimvero si de aliis, quibuscum nobis intercedit consuetudo, ferenda est sententia nostra, eaque cum alio quodam communicanda, parum interest, utrum hoc, si modo a vero non abhorreat, iis sit laudi et commodo, an ignominiae ac detrimento. Iuris enim naturae officia cum per se sint negativa, et perfecta, atque adeo non exigant, illam usi ratio etiabum soberbia signatio superavit, nihilob minime
a) pr. I. et D. de ini.

ut alios virtutibus insignitos laudibus decoremus, cohonestemusque; sed silentio eas praetermittere liceat, multo minus requiritur hoc, vt indignis laudes affundamus. At tacenda esse, dixerit quisquam, aliorum malefacta, neque vitia e tenebris protraheenda et nudanda esse, existimatio eorum ne atteratur. Fama autem, quae in aliorum de attributis nostris iudicio versatur, si quis vitorum labo sit contaminatus, bona cogitari nequit, nulloque, licet fama laboret, iure priuatur, quippe qui omnibus commodis ex bona aliorum de se existimatione enatis Ipoliatum se videat. Is autem iniuriae statim fit reus, qui mente sua expromenda aliorum virtutibus aliquid detrahit, decerpitque, quod, vt obiter moneam, etiam persona narrantis assumta, effici solet, et qui ficta aliis attribuere studet vitia. Obtreccatio enim, virtutibus aliis denegatis, et quasi extortis, existimationem non potest non debilitare et frangere, omnique contemtu opprobrioque exponere. Inde partim naturalis libertas turbetur perfringaturque, partim labores et studia omni fructu intercipiantur necesse est, Hi enim, quibus homo malas notae innotuit, aut subtimide cum eo conuersantur, aut eius consuetudinem plane defugunt, imo parum abest, incolumitas eius quin in discrimen adducatur. In quo enim suspicio residet, is ab aliis, quibus ab eo metuendum est, facile lacefitur. Cum autem, vbi societas vinculo coniuncti viuamus, illud ius, quod ad existimationem nostram pertinet, et amplificari, et angustioribus describi cancellis, nemo eat inficias, hoc quomodo fiat, paucis delineabimus.

§. II.

Officiis iuris naturae negatiui in ciuitate iunguntur positiva, quae vi exigunt, ut animi sensa pectore clausa retineantur, et contra ex aliis verum extorquent. Nostra quidem iuris principia in genere quemlibet ea mentis declaratione prohibent, quae alios infamia, contumeliaque adsperrgit, nihilque distare praecipiunt, vitrum fama diuulgata a vero defiscat, an comprobetur, ^{a)} nisi quod hoc excusandi praebeat copiam in foro nonnunquam vtilem, mendacii autem coniuctum eo maior maneat poena. ^{b)} Nec praetermittendum est hoc, hominibus quibusdam

A 2

copiam

^{a)} Art. 110. C. C. C.^{b)} Praecipue iniuria excusat in eo, qui sine animo iniuriandi, quem dicunt, de aliorum sceleribus locutus est, que vt detegantur reipublicae interest.



copiam fieri in aliorum contumeliam agendi, quippe qui vel privilegio singulati instructi sunt, vel quibus necessitas imposita est. Sic, ut exemplis quibusdam defungari scelerum coercendorum inhibendorumque causa poena, cui infamiae nota adhaeret, a summa re publica potestate iure infliguntur. Sic partes coram iudicibus se se iudicem ignominiosis convictis lacessunt, sibique sceleri nefusa ante spissa caligine tecta et oblioluta obiciunt, et in lucem protrahunt, prout defensionis et officiatio exigit, legibus saluis fieri possit; sic denique delatoribus et testibus incumbit officium, ut coram iudice omnia, quae habeant, expromant, ita, ut de iniuria conqueri nefas sit.^{a)} Ne quid dicam de patronis fisci, cauillarumque fiscalium, quos plerumque hodie fiscales vocant. Addendum quoque hoc, integrum etiam omissionem rei et negligientiam iniuriae nomen inuolvere, quamquam id repudiata ins naturae, factaque tantum, quae positiva dicunt, iniuriarum agnini adscribit.^{b)} Hoc vero emendandum.

Habemus et alia iniuriarum genera iure naturae plane aliena, iuri autem ciuii maxime necessaria. Etenim cum in nostris ciuitatibus, si accurate eas consideremus, magnum inter tempora, loca, hominesque intercedat discrimen, efficitur, ut res, quae alioquin nullius oculos in se convertebant, minimeque in vituperationem idecurrebant, iniuriarum induant naturam. At vero cum de priuilegiis, atque sanctitate, quam re publica quibusdam hominibus, locis et temporibus iure tribuit, quatenus in hac dissertatione quandam praeslet usum, copiosius mox sit dicendum, longiori huius rei explicationi hic non immorabitur.

Restat, ut, quae ad iniuria mensuram iustam ab utraque parte, et laedentis, et laesi definienda requirantur, paulisper perscrutemur. Iam cum nostrae leges animum laedendi in primis spectent, mihi video vere dicturus, non semper requiri hoc, ut ignominia et contumelia vere quis profundatur et oneretur. Animum enim laedendi si quis habuerit, et locupletibus testimonis communicatur, iniuriam ipsam intulisse putatur. Ut quis

^{a)} 18. pr. D. de ini. l. 5. D. de ini. Carpz. p. 2. qu. 96. n. 76 sq. et 98. n. 40.

^{b)} Leyf. sp. 551. n. 1. 2. 3. Mey. p. 5. D. 389. n. 9. 10. 11.

^{c)} Leyf. sp. 547.

^{d)} v. c. si quis alicuius titulum negligat, iniuriarum accusari potest. Cuiusmodi aliquod exemplum lepidum Praef. Illastr. milii nuperime commemorauit. Mey. p. 5. D. 258. n. 3. Leyf. sp. 549.

si quis alterum petitus spisset pugnis, nisi impeditus fuisset, aut in ipso actu manum abstinueret, ita, ut vere alterum non laederet. Libet exemplo vti: Ponamus, elevata manu quendam alterum se contundere velle minari, nec tamen cum ferire, is iniuriae realis, quae dicitur, obnoxius est, cum tamen alteri nullum iniunxerit damnum.^{e)} Fatendum quidem est, iniuriam nobis inuitis fieri, atque adeo non illis, qui eam non sentiant, nullumque capiant detrimentum, sed nostrum non est, tantas componere lites. Id enim tantum curo, quid leges ciuiles statuant, reliqua alto silentio reponam. Nec quoque video, quo tandem nomine accusanda sit res publica, quae, quo magis salus promoueatur et stabilitur, ipsam voluntatem delinquendi poenis inhiberi plectique velit.

Quod denique attinet ad laedentem, haec imprimis agitur quaestio: quisnam iniurias sit obnoxius, et quibus in causis facto bonam existimationem fugillante teneatur. Atque in ea componenda lite tam Romani, quam nostri Iureconsulti in eam inclinant opinionem, ut iniuriam, cui defuerit dolus, nullam esse, existimat.^{f)} Cui quidem sententiae iterum iterumque a me lectae relectaque, cum in aliis verba iurare, caecoque impetu omnibus fidem adiungere religio mihi sit, ut suffragarer, a me impetrare non potui. Itaque cum instituti nostri ratio exigat, ut de ea quoque re quaedam delibemus, age quid sentiamus, verecunde exponamus. Etenim culpam plerumque sufficere arbitror, ut iniuriae illatae nomine quis compellari possit, neque semper, ut dulus subdit, necesse esse. Hanc sententiam ut argumentis idoneis suffulcirem, adstrueremque, inprinis confugiendum duxi ad analogiam iuris, secundum quam aequa, atque in quoconque delicto, omnis imputandi ratio ex culpa arcessitur. Quid enim? Si in aliis delictis diiudicandis ita versamur, ut, quot culpae sint participes, tot etiam delicti rei habeantur, quid est, cur in iis delictis, quae iniuriarum nomine veniunt, eam rationem defugienti putemus? Cur nec hic in culpae comprobatione acquiescimus? Cur, quaelo, nam exemplo vti fas erit, cur, inquam, aequo animo ac trans-

A 3

quillo

e) Modo ratio adsit, delictum imputandi. l. 3. §. 2. D. h. t. l. 1. §. 4. D. h. t. Willenberg. Diff. de ini. mortuis illatis. Matthaei de crim. prol. c. 3. n. 5. in fine.

f) l. 3. §. 1. D. h. t. Carpz. p. 2. qu. 97. n. 1. Mey. p. 7. D. 112. n. 5. Leyf. sp. 550. n. 7. Quistorp. §. 306.



quillo patiamur, famam nostram proscindī atterique, si modo absuerit animus laendī? Quanquam enim non is sum, qui neget, dolum sacrissime iniuriae adsinem esse, frequenterque supcionem doli enasci, lumentissime enim fateor, in quibusdam caussis iniuriam, dolum adfuisse nisi constet, locum non habere, v. c. si de veritate alicuius dicti constet, per se non contumeliosi, vt vitium corporis,^{g)} in regulas tamen generalis locum id evehī posse, abnegauerim.

Huc accedit, quod sententiam meam suffulcit antiqua fori consuetudo, quae iam diu inualuit. Etenim Carpzouius^{b)} ipse temulentum, qui potu fese ingurgitauit, mentisque suae nullo modo compos est, quemque adeo dolus longissime fugit, poena ob iniuriam in ebrietate illatam tantum ex parte eximendum esse, aliquoqe tantum modo, haec enim sunt eius verba, excusandum putat. Memoranda quoque est Leyseri auctoritas, qui Iureconsultorum Vitebergenſum decifio, etiam rusticos, aliosque rerum forenſium imperitos, qui acta, iniurias redolentia, atque a cauſarum patronis conſecta, temere subscripſerint, his teneri, probat, quanquam negligentiam, se ea plane non legiffe, et incitiam, se ea non satis intellexisse, cauſentur queranturque. Nec quidquam dubitationis animo residet, quin iudex, qui eo imperitia procedit, vt nullis testimoniis locupletibus motus, ob delictum delatum infontem aliquem in vincula abripiendum iubeat, iniuriarum nomine in ius vocari possit.ⁱ⁾ Nec parendum esse arbitror loquacitati eius, qui tantum garriendi iocandique cauſa alios, quos ne de facie quidem nouit, ludificatur, conuicuque effundit, nec ei, qui vehementi amore discruciatuſ coram aliis honestioris fortis feminam inuitam dissuauiat, osculisque eam fatigat.^{k)} Nec denique ei, qui levitate, et futilitate induci se patitur, vt, cum femina quadam se rem habuisse, glorietur.^{l)} Haec ſufficient. Nam innumerā enarrare possem exempla.

Neque

g) Boehm. ad Carpz. qu. 97. obs. 1. Matth. I. c. I. 47. t. 4. n. 3.

b) P. 4. qu. 146. Ebrietas inconsulto facta dolum ab actione auſert, a culpa vero non liberat.

i) Carpz. p. 2. qu. 99. n. 70. Berg. Oec. Iur. I. 3. t. 9. th. 14. n. 5. l. 15. et 32. D. h. t.

k) I. feud. 5. Neumannii Medd. Iuris priu. princ. T. 7. §. 56.

l) Carpz. p. 2. qu. 96. n. 42.

Neque etiam sententia nostra eiusmodi est, quae omni et legum, et Iureconsultorum destitutatur auctoritate. Atque hic quidem statim oculis obuersatur Carpzouius, qui, cum dolum *proprie* dicat ad iniuriam requiri, atque hac limitatione *proprie* interiecta, *improprię* culpam sufficere, subintelligi velit, nostram sententiam non plane improbare videtur.^{m)} Addo quoque Hellfeldium, cui dolus, qui in iniuriis locum habet, vel est directus, vel indirectus. Hunc vero explicat, vbi res in alterius contentum reuera tendit, licet eo consilio non sit suscepta.ⁿ⁾ Haec quidem sententia, et si eam non plane amplectendam putem, cum dolus animum laedendi semper complectatur, et his verbis culpa modo describatur, ad meam opinionem tamen proprius accedere videtur. Parimodo leges quoque iniurias dispescunt in eas, quae dolo, et quae culpa sunt.^{o)}

Ex quibus omnibus satis luculenter apparere arbitror, iniuriam, cuius causa sit casus fortuitus, iudicique inopia, nullo modo esse incusandam. Itaque iniuriam nunc dicimus *illum se: gerendi modum, quo alius illico modo contumelia afficitur.*

§. III.

Expositis autem iis, quae ad ipsam spectant iniuriae notionem, restat, vt breuiter, prout libelli nostri exigit ratio, doceamus, quibus potissimum modis alicuius bona fugilletur existimatio, quinam pro diuersa iniuriae indeinde encantur effectus, et quot adeo dentur iniuriarum genera. Si quis igitur sententiam suam profert, eaque ipsa alios offendit, ita, vt aliud insuper contumeliose non accedit factum, iniuriae verbalis reus est. Perinde vero est, siue verba ore proferantur, siue aliis signis, vti scriptura, pictura, sculptura, gestibus fannisue animi sensa prodantur.^{p)} Si ignorominiose factum interueniat, aut alia ratione corporisque

^{m)} P. 2. qu. 96. n. 22.

ⁿ⁾ Iurisprud. forens. sec. Pand. ord. §. 1972.

^{o)} 1. s. C. h. t. iniuriae mentionem iniciit, quam quis inconsulto calore, prolapso intulit. Et R. I. de ann. 1566. in Coll. nou. T. 2. p. 229, §. 107. dictamen statuit inter poenam iniuriaie dolo, et culpa commissiae.

^{a)} Gellius Noct. Attic. L. 18. c. 4. v. c. si impudicarum seminarum mariti duabus digiris corniculorum instar erectis denotantur. Dissentient etiam in hac re



porisque motu aliquis tale quid minetur, in realem degenerat,^{b)} v. c. verbera et iniusta vincula.^{c)} Iniuriae porro alicui illatae ad alium quoque interdum pertinent, cuius quis v. c. subest potestati, et qui alia ratione illi obstrictus est, vti cognati, serui, mercenarii.^{d)} Hoc modo si quis fuerit turbatus, iniuriam mediatam vocamus, cum alias immediatae apellatur.^{e)} Quoniam denique, vti docuimus, iniuriae interdum dolo, interdum culpa inferuntur, eas denuo in directas et indirectas diuidimus.

Harum quidem diuisiōnum, et si ingēnus fator, non magnam esse vtilitatem, tamen vbi diuersitatem rerum in ipsis iniuiis contentarū contemplerū, tanto maius ex alia diuisione redundabit emolumentum. Adhibendae enim sunt eadem regulae in perpendenda iniuriarū grauitate, ad quas omne delictū examinatur.^{f)} In statu quidem naturæ, qui dicitur, omne id, quod regulæ, quae initii loco ponitur: *neminz laede*, refragatur, iustum delicti explet mensuram. Post initiam vero societatem ciuilem omnis delictorum ratio ex consilio, quo societas conflatur, est arcessenda, neque quiequam delicti formam induit, nisi quod huic consilio obnittatur. Cum vero actiones hoc pacto non definitas, atque vnius cuiusque arbitrio relictas, populo, aut ei, qui eius personam sustinet, moderari eisque cancellos quosdam, quibus hoc consilium facilis obtineri possit, circumdare placaret, non fieri potuit, quin, has quidem leges si quis excederet, noua delictorum enasceretur forma. Iam facile videmus, illa delicta maiorem, haec minorem adiunctam habere grauitatem. Eadem iniuriarū est ratio. Eae quidem, quae natura sua ciuitatis caussas aduersantur, *atroces*, eae vero, quae tantum legum sanctioni inferuntur, pro gradu violationis, modo *graues*, modo *leues* dicuntur.

Hacc

re DD. et iniuriis verbalibus modo verba ore prolata et scripta annumerant. Carpzov. P. II. qu. 99. n. 6. quia vero in mentis declaratione etiam signis facta, nisi alia intercedat laesio, iniuria nulla ratione interdum crescit, et reales grauius puniuntur, quodammodo decipi mihi videntur. v. *Duell-Mand.* §. 3.

b) Fichtner de admenatione, von dem Zucken mit der Hand, Degen, Dolch auf einen zucken.

c) Carpzov. P. II. qu. 99. n. 3. L. 15. §. 1. D. h. t.

d) L. 1. §. 8. L. 18. §. 5. D. h. t.

e) Leyseri sp. 546.

f) Illustr. Geisler in animaduersi. ex vniuerso iure deponit. Spicil. I. anim. 1. §. 4.

Hæc autem iniuriatum genera, vt rite aestimantur definiturque, ad diuersitatem hominum, locorum temporumque attendamus necesse est. Hac enim accedente iniuria, cum atroces, cum graues, suam exuunt naturam, facileque tum perspici potest, quaenam sint grauiores, quae leuiiores. Quae cum tanta sint grauitate, plurimumque conseruant ad rem nostram illustrandam, eorum vberiori expositioni lobet immorari. Res autem vt iusto ordine procedat, tria in primis sunt tenenda, quibus omnes iniurias dimetiendas esse duxerim. Horum primum hoc esto: quo maiorem alium debemus honorem reverentiamque, eo grauior habetur iniuria ei illata, et vice versa. Inde cogitur hoc, vt quibus iniuriis principes, magistratus, parentes et sacerdotes onerantur, eae delictorum grauissimorum numero sint adscribendae. Neque parum ad augendam hanc obligationem facit temporis,^{g)} v. c. si quis in ipso officii actu verisetur, locique ratio, v. c. si quis in iudicio, via publica et foro iniuriis lacefatur.^{h)} Alterum non plane diuersum ab illo hoc est: quo longius suppetat tempus copiaque sit de facto deliberandi, quoque minus suppeditetur violandi occasio, eo grauior ratione laudentis aestimanda est iniuria. Is enim, qui nec tempore ad deliberandum necessario excluditur, nec cognitione, quid iustum iniustumque sit, deslituitur, de industria atque consulto fecisse putandus est.ⁱ⁾ Alterutro autem absente delicti minuitur grauitas, v. c. in ebrietate, cuius cauilla neque dolus, neque consuetudo est, animi commotione, hac addita conditione, vt iniuriæ inferendæ nulla intentio sit mora.^{k)} Atque etiam is, qui se irritatum viderat, quodammodo excusari potest. Non enim is exorditur causam, cui ira mota est, sed is, qui alteri stomachum mouit. Quo maius denique ex offensione aliqua metueendum est damnum, eo magis iniuria crescit. Damnum vero ingrauescit et aggraueatur vel facilitate temporisque breuitate, qua ignominia quaedam dimanat atque percrebrescit, vel memoriæ illius contumeliae perpetuitate, qua difficulter vel nunquam obliuione conteritur atque obruitur, v. c. sculptura, famosus libellus, literæ aculeatae et contumeliosæ, vel difficultate damni resarcendi iniustæque famiæ

g) L. 7. §. 1. D. h. t.

h) L. 9. §. 3. D. h. t. L. 16. §. 6. D. de poenis.

i) L. 16. §. 7. D. de poen.

k) Leyseri sp. 601. L. 5. C. h. t.



famiae delendae, v. c. mutilata et decurtata facies, abusus virginis,¹⁾ vel periculo magnorum dolorum calamitatunque, quod vni tantum imminet, v. c. vulnus prope oculos, tempora, occiput, sinciput, coxas denique et thoracem pectoris,²⁾ vel denique hominum, quibus infertur, multitudine, v. c. iniuria, qua proscinditur collegium, societas, totaque respublica. Atque vt intelligatur, iniuriarum atrocitatem, quam satis puto enuncieatam esse, in neminem magis cadere, quam in homines illustres iniuriis petitos, age ad eorum satisfactionem explicandam ingrediar. Antequam autem ad ipsam rem accedamus, satius duxi, notionem personae illustris paullo accuratius atque examinare.

§. IV.

Tritissimum et decantatissimum est, homines, si in statu naturae, quem dicunt, eos species, sibi inuicem aequales, nec ullum externae dignitatis esse inter eos vestigium, ita vt nulli in alium aliqua competit potestas, omnesque pari inter se iure vtantur. Simulac autem, repudiata illa primaeua viuendi ratione, in societatem ciuilem confluxerunt et coauerunt, illa prima libertas naturalis quibusdam terminis est descripta atque immutata, cum alii vel pacis quibusdam eam vltro respuerint, ea que se abdicarent, vel vi adacti ea priuarentur, alii vero ius in reliquo dominandi, dignitatemque prae aliis nanciserentur. Inde non potuit non fieri, quin haec rerum immutatio omnem hominum tolleret aequalitatem, efficieretque, vt et eos, qui de republica bene meruerant, et virtutibus exsplendebabant, summa circumflueret gloria et dignitas.³⁾

Ita igitur in Germania etiam sensim sensimque oborienteantur formabanturque illi tres hominum ordines, quorum alter plebeios, qui etiam pro vita generisque honestate, aetatis ratione aliquique de causis diversa dignitate gaudent; alter nobiles sensu sublimiori, (*hoge Adel,*) qui imperium in alios exercabant, atque eo ipso plebeio ordini vna cum posterioris exempti ad summum honoris fastigium evecti sunt; ⁴⁾ vltimus denique nobiles

¹⁾ L. 1. §. 1. 2. D. de extr. crim.

²⁾ L. 8. D. h. t.

³⁾ Pafend. I. c. L. 8. c. 4. §. 23.

⁴⁾ Scheids Nachrichten vom hohen und niedern Adel in Deutschland. §. 3.

nobiles sensu inferiori complectitur, quibus eorumque liberis media aetate a plebeiorum ordine seiuentis ob merita quaedam singulares honores et iura delata sunt.^{c)} Nos vero omissis reliquis ordinibus, secundum ordinem, cui nomen illustris adhaesit, contemplabimur, ita quidem, ut primum indagemus, quinam illi fuerint, quibus in Germania hoc nomen competitbat, deinde quamnam potestatem nostri DD. iurispublici huic verbo subiiciant, explicemus, et denique eius vim ad rem nostram accommodemus. Quamquam haud diffiteor, vix, ac ne vix quidem accurate doceri posse, quinam quolibet tempore illustrium nomine fuerint insigniti, cum in nulla fere re maior deprehendatur varietatis vicissitudo, quam in titulis, hoc tamen vere contendit potest, neminem nisi nobiles in sensu sublimiori, seu superiores nobiles illustrium nomine inclaruisse. Sic olim Francorum reges illustres appellati sunt,^{d)} aliquae porro principes.^{e)} Deinde sub Carolingis comites et dynastae hoc gerebant nomen.^{f)} Succedente tempore comitibus et dynastis eruptum est, solumque mansit imperatoribus,^{g)} ut postea electoribus aliisque imperii principibus.^{h)} Annis demum centum inde praeterlapsis, comites iterum, barones atque omnes nobiles immediati, qui dicuntur, hoc nomen sibi vindicarunt.ⁱ⁾

Nostri etiam iuris publici DD. illustribus non solum imperantes, omnesque eos, qui ad eorum pertinent familiam, sed etiam nobiles Germaniae immediatos anumerarunt.^{k)} Praecipue illustrium notio ex iure suffragiorum senendorum in comitiis imperii deriuatur, caditque in omnes, qui vel ex imperi proceribus nati, vel beneficio electionis, aut receptione in eorum venerunt numerum.^{j)} Neque hoc nomen in eo

B 2

sensu

c) Idem l. c. §. 2.

d) Lex Salica in fin. Matthaei de nobilit. L. 1. c. 3.

e) Scheidt, l. c. p. 6. lit. g.

f) Kopp de insigni differentia inter S. R. I. comites et nobiles immediatos. Sect. 1. §. 7. 8.

g) Scheidt, l. c. p. 68. lit. m.

h) Ludewig ad A. B. T. I. p. 416. et T. II. p. 1357.

i) Idem l. c. T. I. p. 121.

k) Pütteri primae lineae iurispubl. priu. princ. Sect. 1. §. 1.

l) Illustr. Geisleri Sciographia iuris Germ. priu. p. 94. §. 13.



sensu ciuitatibus imperialibus denegandum est, modo ne ad singulas ciuitatis personas, sed ad totum corpus referatur.^{m)}

Iam vero cum iniuriarum atrocium, quae infligi possunt personis illustribus, ratio sit habenda, ad singularem ciuium quorundam in societate existimationem, atque ad insignem exinde natam dignitatem, qua omnes in ciuitate superant, attendamus, quam praeccipuum esse nobilitatis fontem, nemo negabit. Neque enim, inde ab incunabulis ciuitatum vlos maiori ornatos fuisse dignitate, deprehendimus, quam quibus maiestas personalis in sensu politico (i. e. facultas summam illam dirigendi potestate, quam populus viribus suis coniunctis effecit, in unum collata) est concessa. Haec enim duo complectitur, cum summam in republica potestatem, tum summam dignitatem,ⁿ⁾ ita, vt illa ab hac sciungi non possit, haec vero ab illa separari queat; cum dignitas sola partim necessitudine, partim coniunctione ciuii ab eo, qui maiestate gaudet, in alios transferatur. Itaque omnes iam illustrium nomine comprehendimus, quibus iura maiestatis hac quoque ratione competunt. Haec quidem iura, quae in illa potestate et dignitate in primis iam ponimus, habere quis potest primum per se, cum regio quaedam eius ditioni sit subiecta, nihilque tum resert, vtrum ipsius imperium sit alius potestati obnoxium, an non, limitatum, an non, simplex an diuisum. Huc referendi sunt omnes, qui iurisdictionem territorialem exerceant,^{o)} et quibus in comitiis imperii votum, sive virile, sive curiatum, vt vocant, competit, vti ciuitates imperii, si tanquam totum spectentur corpus.^{p)} Ea deinde iura alicui competunt ex alius auctoritate, cum dignitas illa partim in alios assinitate et necessitudine cum principe coniunctos, vti in eius liberos ex iusto matrimonio^{q)} natos vtriusque sexus, atque in eius vxorem codicillis imperatoris accendentibus, deferatur,^{r)} partim officii actu communicetur, quo principi-

^{m)} *Moser von den deutschen Reichsständen*, S. 1058. ff.

ⁿ⁾ *Ziegler de iurib. maiestat. L. I. c. I. §. 5.*

^{o)} *Wernh. P. III. Obs. 115. §. 41.*

^{p)} *Instr. Pac. art. 8. §. 4.*

^{q)} *Ludewig, l. c. T. II. p. 1385. Cap. art. 22. §. 4.*

^{r)} *Molers deutscches Staatsrecht. Th. 19. B. 102. de disparagiis, et de Ludewig l. c. T. 2. p. 1373. Nec dissoluto matrimonio hac dignitate priuantur. Moser l. c. Th. 22. §. 9. §. 7.*

principis amici regiminis administrationem cum eo participant, eique a latere sunt, atque eo ipso pro diversitate rerum, nisi pleno maiestatis honore assificantur, uti fere legati primi ordinis (*Ambassadeurs*), tamen principum sanctitatis participes in illustrium classem simul cum vxoribus suis cooptantur.⁵⁾

§. V.

His praemunitis proprius ad rem nostram accedamus, videamusque, quo tandem modo personis illustribus, si iniuriis laceritatae sint, satisfactio debatur. Idque ut magis perspiciat, conditionem et defensorum, et in primis aggressorum secernere opus est, qua mutantur, mutatur quoque satisfactio. Atque tum quidem tria personarum illustrium se se nobis offerunt genera, in quibus regnantes independentes primum tenent locum. Ab his si quis violatus fuerit, nec iudicem adire, qui iniurias persequatur, nec legum auxilium implorare potest, cum facultas aliorum facta plectendi ex conuentis trahat originem, neque adeo ius erga eos exerceri possit. Liberae nimirum gentes, vel sine summo principe vna sumpul consideratae, vel maiestate reali, ut cum schola loquar, in vnum socium, id est principem, translate personam efficiunt, quam moralem vocant, quaeque cum naturali adhuc vtatur libertate, nullum indicem humānum agnoscit. His igitur principibus, vbi cum aliis oriatur ius, quos nullo foedere confociatos habent, sive sint aequae independentes ac illi, sive aliis potestati obnoxii praefint imperio, iuris naturae praecpta sola sunt subsequenda, et laesio secundum illa vltione prosequenda. Atque hanc principum iniurias vlciscendi rationem non alienum erit paulisper excutere. Iam vero exercet multorum ingenia quaesito, cuinam in statu naturae competit vindicta. Nos vero huic rei dirimendae non immorabitur. Pater enim ex supra allatis, nemini in alios ius competere ex legibus naturae, nisi qui pactum cum aliis p̄pigerit, aut ab aliis fuerit laceritus, nemine inque iniuriam vlcisci posse, nisi qui eam acceperit, aliumque, qui se vltioni immiscuerit, nouae iniuriae reum fieri. Omnis

B 3

enim

⁵⁾ Moser von der Landeshoheit c. 1. 2. L. 5. C. ad. leg. Iul. majest. Cum vxores semper maritorum digniratis siant participes, neque lex aliqua hic exceptionem praecipiat, nihil dubii est, quin imperantis amicorum vxores hoc quoque iure vntantur.



enim vindicta in statu naturae tantum in defensione sui ipsius locum habet, quae, vera laesio nisi antecesserit, cogitari nequit. Ius denique, quod ex aliqua iuris perfecti violatione in alium acquirimus, eo credit, ut aggressorem, quacunque ratione, quae nobis iusta et apta videtur, eo redigere possimus, vt dannum resarciat, atque in posterum ab iniuria abstineat. Modus autem inuasorem repellendi, quis in quoque loco sit aptissimus, et si doceri non possit, cum ex variis rebus pendeat, attamen iustus, an iniustus sit, facile dirimi potest. Etenim ubi in una tantum re violati simus, non eo nos perducere debet inhumanitas, vt omnia erga laudentem officia exuamus. Enimvero vim aggressori nostro inferendam non magis, quam nostra securitas damnum reparatio postulet, præferre debemus, ita ut quamcunque eius violationem necessitas nobis non extorserit, ea ipsa sit iniuria.^{a)}

Haec igitur de defensione in genere dicta sunt. Veniamus ad eam, quae ad famam nostram violatam pertinet. Eum igitur, qui famae nostrae notam iussit, iuxta naturae leges possimus vi adigere, vt omnia contumeliose dicta, scripta et facta retractet et immutet, eique, ne unquam eiusmodi quid faciendi denuo eum capiat libido, hoc illorum modo terrorem incutere. Quae quidem vis, nisi alio modo iura nostra stabilire saluaque conseruare possimus, eo usque progreedi potest, vt aduersarii vitae ne parendum quidem sit.^{b)} Disceptatur quoque, num ei, qui iniurias tantum molitur, liceat anteuertere, quibusque remediis ad eas amoliendas sit vendum. Iam ex superioribus patet, ad se defendendum non semper laesione opus esse. Eos igitur, de quibus mota est suspicio, diligenter obseruare, socios, quorum ope facilior sit defensio, sibi adiungeare, aditumque armis munire satis erit. Neque ad laesionem ipsam defendendum est, licet ii, qui in suspicionem incurront, singulari potentia et opibus praepolleant, aliasque lacessendi lubidinis iam ediderint documenta, nisi ex eorum iniustitia damnum iam ad nos redundauerit, aut liquido constet, eos iniuriam nobis inferendam meditari.^{c)}

Haec quidem satisfactionis ratio legibus naturae accommodata, nec ab illustrium independentium, quos vocant, rationibus aliena videtur.

Etenim

^{a)} Grotius de iure B. ac. P. L. III. c. 11. §. 1.

^{b)} Pufendorf. de iure nat. et gent. p. 251.

^{c)} Idem l. c. L. II. c. 4. §. 6.

Etenim princeps, iniuriis vbi euocatus fuerit, eas ipse vleisci debet, nec arma, quae alienas iniurias propria auctoritate persequuntur, consentient cum iustitia, nisi ille ipse damnum simul fenserit.^{d)} Quamquam autem vindictae ipsius limites supra indicatos non transgredi possit,^{e)} atque illustris independens naturali libertate pariter vtatur, atque alius homo privatus in statu naturae, tamen diuerla quodammodo eorum est satisfactio-
nis ratio. Illius enim potentia, qua vnitae totius populi vires penes eius sunt arbitrium, dignitas, qua totum populum repreäsentat, atque inuetata consuetudo, qua saepius vſus est, efficit, ut plura, eaque grauiora ipsi suppeterent remedia iniurias repellendi, quibus singulis nomen quodam adhaescit. Atque primum locum tenet transactio, (nam humaniora inhumanioribus esse praferenda, docuimus,^{f)} seu ea satisfactio, qua laedens cum laeso pactum fecit, eique id sponte praeflat, quod vi postula-
re potest.

Iam vero eiusmodi satisfactio, vbi nec satis tuta, nec sufficere videa-
tur, atque adeo frustra tentata fuerit, ad laestonem ipsam configendum
est, ita tamen, ut mitiorem duriori et grauiori, prout necessitas exige-
rit, antepomendam censemus. Huc autem non retulerim certamina fin-
gularia, quibus quid sit inconsutius, magisque temerarium,^{g)} haud scio,

quae-

^{d)} Vattel sur le droit de gens, L. II. §. 54. et Prelimin. §. 20. si elle abuse de sa liberté, elle peche, mais les autres doivent le souffrir, n'ayant aucun droit de lui commander; et §. 23. Toutes ensemble n'ont donc aucun droit sur la conduite de chacune finon en tant que la societe naturelle s'y trouve inter-
essée. Nam ad socium quoque iniuria pertinet, quem aliqui eo consilio sibi conciliavit, ut eum defendenter, vti res se habet inter circulos Germaniae. *Moyers deutſches Staatsrecht*, Th. IV. S. 426, §. 2. Cuiusmodi notabile exemplum a parte ordinum Germaniae sumi potest ex anno 1492. in rebus gestis Maximil. I. vid. *Häberlin in dem Auszuge* T. 7. p. 620 sqq.

^{e)} Vattel l. c. L. II. §. 339 in fine. Mais elle n'est pas en droit d'étendre la peine au dela de ce qu'exige sa propre faute.

^{f)} Idem l. c. L. II. §. 338. praefertim vbi culpa iniuriae inferenda praebuit ansam.

^{g)} Licet praeterito tempore inter summos homines interuenierit. Sat enim constat, Carolum V. Imp. a Francisco I. rege Galliae ad eiusmodi certamen singulare ex causa iniuriarum provocatum esse, illud et acceptasse. v. Du Mont dans le grand Corps diplom. T. IV. part. I. p. 503 sq. et *Häberlin in dem Auszuge* T. XI. p. 98.



quaeque iusta adipiscendae satisfactionis ratio iam in statu naturali respuit. Etenim ut hoc vno defungar, vterque, cum laesum tum laedens sibi paria iura largiuntur, et pugnandi dexteritate rem transfigi patiuntur. Sed sunt alia eaque iusta, quibus famam existimationemque maculis eluere possint. Nunc enim reddi potest iniuria eodem modo, quo accepta est, idque vocatur ius talionis. Ex hoc in primis capite spectanda sunt dira illa iurgia et conuicia, quae tempore instaurandorum factorum Henricus Brunsuicensis, Ioannes Fridericus magnanimus et Philippus magnanimus pro consuetudine et ratione illius aetatis erga se inuicem euocuerunt, quorum memoria ne ad posteritatem propagaretur, magnopere laudanda est prudentia consiliariorum Vinariensis in reconsensu Hortlederi libris. Sufficit hoc exemplum, quamquam ex truculento illo septenni bello quam plurima occurrunt, quae caliginosa nocte oboluimus. Nunc vti possunt iure retentionis, vti dicitur, quod laedentis iura sibi atrocitatibus rerumque eius tam diu potitur, quam iniuriis satisfacere renuit. Nunc ad ius restorationis confundere licet, quod laedentis ciuibus eadem refert, quae ipse laesi ciuibus immissit. Nunc repressalias, ita enim vocant, in subsidium vocare fas est, et in laedentis civitatis membra grassari eorumque bona diripere, vt iniuriarum satisfactio extorqueatur. Neque tandem, vbi haec non sufficient, absinendum est bello, totius enim reipublicae interest, ne principis dignitas labefactetur,^{*)} seu ea vi, quam vniuersae gentes erga se inuicem exercent, cuiuscunque tandem sit generis, eo consilio, vt pars debilitata viribusque exhausta ad aliquid agendum vel omitendum cogatur. Idque rursus pro diuersitate consilii, quo suscipitur, in varia genera dispepsi solet, ex quibus in primis hic pertinet bellum punishmentis, seu id, quod iniurias persequitur, cui adfinc est bellum reparatiuum, quod ad damnum resarcendum spectat. Aliud est bellum defensiuum, quod vim vi repellit. Denique bellum asscuratorium contra eum auertendi periculi causa suscipitur, qui, vi nondum adhibita, mala tamen molitur. Disputatur quoque, quando et quomodo hanc duriora

^{*)} Vattel l. c. L. I. §. 10. Le Souverain est l'ame de la societe; s'il n'est pas en veneration au peuple et dans une parfaite surete, la paix publique, le bonheur et le salut de l'Etat sont dans un danger continuell. Le salut meme de la nation exige donc necessairement, que la personne du prince soit sacree et inviolable.

et grauiorā remedia sint adhibenda.ⁱ⁾ Nos tamen, quoniam iam supra docuimus, quibus conditionibus interpositis vis alicui inferri possit, quaeque cautio sit adhibenda, iterata eius rei enucleatio non retardabit.

§. VI.

Quod si vero ad singula accedamus alieuius ciuitatis membra, eorumque iura, sicuti eorum fama conuicis imminuta fuerit, contempleremur, triplici ratione iniuriarum satisfactionem a iure naturae et gentium recedere, videmus. Cum enim ciuium in ineunda societate esset consilium, ut vim externam vnitis viribus retorquerent, atque, quo magis reipublicae salus promoueretur, omni violentiae erga se inuicem adhibendae vsu se abdicarent, non potuit non fieri, quin singulorum res diiudiandi facultas, eosque, qui datam fidem fefellerint, aut vi ad officia reducendi, aut a societate segregandi potestas principi reseruaretur. Itaque, quoniam se ipsum vlcisci in ciuitate non licet, sed a principe auxiliu[m]quaerendum, ne improbi ciues arbitrariae vindictae amplius exponerentur, atque e[st] contraria laes[ione] adiuuarentur, reipublicae placuit dupl[icem] decernere satisfactionem, cumque, qui ciuib[us] suis iniurias intulit, adigere, vt et laeso satisfaciat, et filio poenam soluat.^{a)} Illa, quae laelo praefatur, satisfactio dicitur priuata, haec vero, quam ciuitas posulat, publica appellatur. Publica autem iniuriarum vindicta in primis pro varia hominum dignitate, quam in societate fortiti sunt, differre solet. Etenim inter Germanos in primis cum illustrium dignitas, tum femininus sexus iniuriae addit[us] gravitatem. Hic enim cum a primis inde temporibus usque ad hunc diem magno fuerit in honore, eius quoque, sicuti iniuriæ in eum fuerint congestæ, inter ipsos illustres est ratio habenda. Feminis quidem antiquissima actas singularem prudentiam et patientiam, quid? quod aliquid sancti inesse, ipsisque cum Diis esse quan-

dam

ⁱ⁾ Idem L. II. §. 50. Une nation est en droit, de résister au mal, qu'on veut lui faire, d'opposer sa force, et tout moyen honnête à celle, qui agit actuellement contre elle, et même d'aller au devant des machinations, en observant toute fois de ne point attaquer sur de soupçons vagues et incertains pour ne pas l'exposer à devenir elle même un iniuste agresseur.

^{a)} Grotius de Iur. Bell. ac. Pac. L. I. c. 3. §. 21. n. 5.

dam communionem, credebat, ob eamque caussam aliquid arduum et magnum sine his feliciter suscipi posse, desperabat, et, ut paucis dicam, summa eas pietate et fere religione colebat.^{b)} Nec id Teutonibus erat inauditum, quippe quibus feminam violentius tractare esset inexpiable scelus.^{c)} Hanc superstitionem, quacum tamdiu conflictabamur, et si longinquitas temporis paullulum exterminauerit, feminae tamen de tanto dignitatis fastigio, in quod euectae erant, nondum plene sunt deturbatae. Etenim et adhuc eas in magno honore esse, quis negaverit? Obtinent semper primum locum, nec propterea quisquam eas limis toruisse que oculis intuetur.^{d)} Quaenam vero hodie huius rei sit caussa, adhuc dubitatur. Quanquam enim, quidquid etiam mali ab illis Euae filiabus ad nos propagatum fuerit, longe sum alienus ab eorum sententia, qui feminis personam humanam per insaniam olim ac nuper admodum detrahere cupiebant,^{e)} tamen uter sexus alteri sit anteponendus, difficile iudicatu arbitror, cum feminarum calliditas, formositas et gratia quedam iis proprias^{f)} virorum animi corporisque viribus exaequetur et compensetur. Tuttissima via is incidere videtur, qui huius rei caussam ex amore, blanditiis, comptisque moribus, quibus alterum sexum irretire solent, deduxerit. Nostis enim, quae Naso in arte amandi, et remediis amoris late de hac re cecinerit. Quae quidem sententia inde multum roboris accipit, quod in seuerioribus grauioribusque rebus feminae viris lange postponantur, et, ut hoc vtar, ipsa Augusta Germanorum Imperatrix in processionibus solennibus non modo Imperatorem, sed etiam Boemias Regem sequi debet.^{g)} Vtunque tamen fuerit, (nam parum faciunt

b) Tacitus hist. L. IV. c. VIII. Fischer über die Geschichte des deutschen Despotismus. p. 32.

c) Haltausii Glossarium Germ. mediæ aëvi p. 484. Ne plures dicam.

d) Hoc a primis Romanorum temporibus ad nos translatum videtur v. Plutarchus in Romulo pag. 30. Edit. Francof. πολλα ταις γυναιξιν εις αιμην απιδεκαται, οι και ταυτα δινι εισισθαι μιν εδων βαδιζουσας αποχρον δι μηδιν μηδιν επειν παρουσια γυναικος, μηδ εφθηνα γυμνον, η δικη φυγην παρα τοις επι ταις φοικαις καθισινται Φερεν διαγω τους παιδεις ανταν την καλευμένην βουλλαν.

e) Gregorius Turonensis l. 8. c. 20. Diff. Acidalii, in qua probare studet, mulieres non esse homines.

f) Montesq. de l'esprit des loix l. 16. c. 2.

g) A. B. c. 26. §. 5. vid. Ludewig ad h. l. T. 2. p. 643.

ciunt ad rem nostram,) negari non potest, feminas etiamnum viros antecedere honore, ita, ut, qui eas coniicis onerauerit, licentiae turpissimae se obnoxium prodat, et ex regula supra constituta, quo maiore aliquis reverentia sit prosequendus, eo maiorem iniuriae accedere grauitatem, in maius crimen incurrat. Accedit earum imbecillitas, qua impeditae vim vi repellere sere non possunt, quaeque omnem metuendi ab iis periculi suspicionem amolitur, iisque quandam sanctitatem attribuit.⁴⁾ Quo minus enim occasio iniuriae inferenda suppeditatur, eo turpior ea ipsa est, et quo magis iniuriae accipienda periculo quis est expotitus, eo maior poena illi est irroganda, qui iniuriam infert. Ex quibus omnibus cogitur, iniuriis feminis illatis singularem quandam grauitatem inhaerere, easque adeo grauioribus poenis esse coercendas.

Quae quidem omnia ab illustrium dependentium, qui imperium gerunt, conditione, sub quibus Germaniae principes intelligimus, minime abhorrent. Etenim hi ciuili quoque tenentur officio, atque eandem, cum quod ad poenas, tum quod ad sexus discrimen attinet, sequi debent iniurias vindicandi rationem. Omni olim in Germania securitate penitus sublata, cum inter principes non minus, quam priuatos tanfa inualeceret licentia, ut inimicitias armis quilibet ipse persequeretur, princeps contra alterum bella gereret, clientes contra dominos, urbes potentiores contra principes, nobiles contra nobiles et ciuitates, et, nam paucis dicam, ut quisque erat armis viribusque potentissimus, ita quoque esset rapacissimus praedaeque cupidissimus,⁵⁾ imperii proceres de restituenda et instauranda republica solliciti hanc fundarunt ciuitatem, qualis adhuc est, hac sancta lege, ne quis alias iuribus spoliaret, nec vilius vi et armis ius

C. 2

sibi

4) De furiis ac megaeris, si vnguam extiterunt, non loquimur; certe hac aetate nostra earum genus non superest.

5) Vid. Dart de pace publica per totum, et Ill. Schlieffenius in der Nachricht von einigen Haufern des Geschlechts von Schlieffen oder Schlieben, vor Alters Slivin oder Slivingen p. 5 sqq. quam quidem pericopen praestantis operis ex induito summi viri Praefes illiusfr. proxime separatum in communes et faciliores usus edet, quemadmodum ex eo audiui. Ceterum si quis legendi est capidas, rerumque antiquarum avidus, legat quae imperime de rebus Friderici admirsi nostri dramatico more elegante scripta sunt. Ne quid dicamu de Goetzi Berlichingeni aut cum manu fertea,



sibi vindicaret, sed a republica vindicandum expeteret.^{k)} Inde non potuit non fieri, quin a singulis maiestati inter eos ortae et stabilitae obsecrum esset praestandum, iudiciumque sententiae esset acquiescendum. Nata inde sunt duo in primis iudicia, quibus omnes omnino imperii principes subiecti sunt,^{l)} alterum Iudicium Camerae Imperialis, quod dicunt,^{m)} alterum Iudicium Aulicum, quae communem habent jurisdictionem.ⁿ⁾ Praeterea etiam arbitris, qui conventionales dicuntur, quibusque multae illustrium familiae antea iam usae fuerunt, confirmatis, aliisque insuper legalibus posthac a Maximiliano constitutis,^{o)} ut imperii proceres vario modo iura sua expetere possent, aliud Austregarum, quod appellant, iudicium accessit, coram quo res controvæsæ iuxta ordinem in editiis imperii praescriptum exequuntur, et a quo ad summa Imperii Tribunalia prouocare licet.^{p)}

Haec igitur iudicia quoque illustres in subsidium vocare possunt, sicuti sibi iniucem iniurias intulerint.^{q)} Cum vero causarum criminalium iurisdictionem Iudicium Aulicum sibi referuerit, iniuriarum satisfactio eius arbitrio decidenda relinquitur, excepto crimine fractæ pacis publicæ et religiosæ, cuius poena præcia Cameræ inhibitione, et aulici Iudicij causæ cognitione, in imperii definitur comitiis.^{r)}

Criminales vero caussas quamvis Austregae non dijudicare possint,^{s)} si tamen eatenus in iniuriarum lite componenda partes quasdam agere possunt, quatenus per modum transactionis iis satisfit, earumque satisfactio publicam non complectitur poenam. Quod autem ad ipsas iniuriarum poenas attinet, haec arbitriae quidem sunt, in iis tamen infligendis perso-

k) Instr. Pac. publ. in Comit. Wermat. promulgatum an. 1495. art. 2. et R. I. de an. 1555. §. 14.

l) I. P. O. art. 17. §. 7.

m) R. I. de an. 1548. §. 24. O. C. p. 2. t. 9. R. I. de an. 1512. p. 2. §. 8. I. P. O. art. 5. §. 34.

n) Io. Steph. Püter de fummarorum imperii tribunalium concurrente iurisdictione, infra Epist. rei judic. Imp. illustr. p. 334 sqq.

o) I. P. O. art. 5. §. 56. O. C. p. 2. t. 2.

p) Schubhardi Commentatio de Austregis sacr. Rom. Imp. c. 2 et 8. R. I. N. §. 105.

q) Mosers persönl. Staatsrecht Th. 2. B. 3. L. 2. §. 31. et L. 9. §. 4.

r) Capit. art. 22. v. Treuerus de iure publico criminali cautissime dijudicando, aliquæ qui de sublato banno contumaciae scripsere.

s) Schubhard l. c. c. 5.

personarum conditio non minus, quam mos antiquus, qui legis naturam induit, respici debet, et si a priuata discedas satisfactione, quae deprecationem, reuocationem, et honoris declarationem continet, mulctae, sub-hastatio, fundorum, ereptio iurium quorundam, v. c. voti in comitiis circumlocum, et imperii, atque adeo ipsius regiminis, vincula, et denique proscriptio imperii in vsu quidem fuerunt.^{ff)} Haec vero omnia num hodie adhuc obtineant, equidem dubito.^{g)} Etenim omnis publica satisfactione multa et procriptione confici videtur. Iam vero questionem, num saluis imperii legum edictis ius propria manu imperii proceres unquam sibi possint vindicare, parum difficultatis habere arbitror.^{h)} Nam per se, et per exemplaⁱ⁾ iustissima patet, omnes Germaniae principes erga alios imperantes extra Germaniam iisdem vti iniuriarum vindicandarum remedii, quibus alii independentes. In socios autem nullam vim unquam propria auctoritate exerceri posse, nisi quam moderamen inculpatae tutelae, quod dicunt, permittat, notio ciuitatis docet.^{j)}

§. VII.

Quae hucusque de seminarum illustrium satisfactione disputauimus, nulla laborabant difficultate, cum utrumque sexum pari in se defendendo vti iure, in dubium vocari nequeat. At difficilior est explicatio, qua ratione inter feminas illustres regimine destituta injuriae sunt vindicande, cuiusque iudicio subiicienda sunt principum coniuges, viduae, sorores et filiae. Alii enim totani principes familiam regionis legibus exi-

munt,

ff) Mosers persönnliches Staatsrecht Th. 2. B. 3. C. 9. §. 12. Priorum temporum in illa antiqua Reipubl. Röm. Germ. forma rationem iam non habemus, vbi Imperatores vt monarcae contra imperii proceres, tanquam ministros suos et subditos etiam poenit ferioribus vti sunt.

g) Idem l. c. §. 13.

h) Wernheri diss. de represaliis inter Imperii principes non prorsus illiscitis eius Observ. inserta p. 3. Obs. 115. et Selchow in Elementis iur. publ. Germ. T. I. §. 458. 459.

v) Cuius rei nescio an luculentius exemplum additillo, quod nuper vidimus in Hollandia, qui furore quorundam turbulentorum hominum correpti Sereniss. Guilelmus Aragonensem totamque eius Augustissimum genetum contumeliosissime trastauerant.

w) Boehm. ad C. C. C. art. 139. I. P. O. art. 17. §. 6. R. I. de an. 1570. §. 34.

❧ ♚ ❧

munt; eamque in naturali degere putant libertate; ^{a)} alii legibus ciuilibus adstringunt, ita, ut Germaniae principum familiam modo summis imperii tribunalibus, modo iurisdictioni territoriali subiectam esse statuant. ^{b)} Atque haec quaestio inde multum difficultatis accipit, quod leges de ea silent, eaque tota iuris naturae scientiae, nostrorumque morum ferutatio nini linitur. Nec igitur mirum est, cui virorum doctorum hac in re sententiae in diuersas partes trahantur. Quas quidem accuratus excutere, leuareque me modestia prohibet. Sufficiat meam, qualiscunque tandem sit, protulisse sententiam. Inprimis autem tenendum est, id, quod in statu naturali ex ciuitatum actione deduci possit, ab eo, quod nostris temporibus imperii praecipiat consuetudo, accurate distinguendum esse, in quo mihi quidam peccare videntur.

In statu naturali enim is tantum est princeps, cui tanquam socio suo a ciuibus prouincia demandata est, vt ipsorum loco realem exercet maiestatem, et qui eo ipso reliquorum ciuium conditioni eatenus est exercitus, quatenus imperii exigit exercitium. Quodsi igitur, vt hoc vtar, sine aliorum consensu ciuibus leges ferat, id quod leges fundamentales ei permittunt, his sola ipsius auctoritate latissimis, omnes ciues iure tenentur. Ex hac quoque leges ferendi potestate fluit, principem dubios legum locos interpretari, iisque, cum non sint ita vniuersales, vt ad omnes pertinere possint, quosdam soluere, denique etiam sublata causa, ex qua promulgatae erant, eas plane abolere posse. Neque tamen negari potest, principem quoque legibus tamdiu, quam vim obligatoriam iis non ademerit acque atque alios ciues, imo dixerim magis adstrictum esse; nec, si quae ei competant prae aliis iura, ea habere in priuatis, sed in publicis rebus. Huius enim dignitatis causa in regime posita est, nec, quae non necessario ex ea sequuntur, iure perfecto a ciuibus exigi possunt.

Quotus igitur quisque est, quin videat, totam principis familiam regiminis pariter ac reliquos ciues expertem, in statu naturae nulla iura, ne minima

^{a)} Schönen's rechtliches Bedenken, ob eines regierenden Fürsten und Landesherrn Gemahlin ihres Gemahls Unterthanin sey, worinnen die Frage mit Nein beantwortet wird.

^{b)} Mosers' deutsches Staatsrecht Th. 20. B. 3. §. 54. Hic multorum similium reconfultorum huius lites sententias collegit. Diff. Helmershausi de subiectione territoriali perf. in pr. illustrum.

minima quidem, sibi arrogare posse, nisi quod necessitudine cum principe coniuncta sit, et commoda, quae ex ea forsan enascantur, ciuium humanitati deberi. Multo minus id iis datur, vt leges negligere, et principis ditioni se se subtrahere possint, cum ipse princeps legibus non sit solutus, imo vero totus a populo pendeat, ita, vt, si potestate sua abutatur, ab eo regiminis rationem exigere, eumque imperio priuare possit. Nihil etiam resert, vtrum aliquis in regione sit natus, vti liberi principis, an ex aliis locis in ciuitatem peregrinus, qualisunque sit conditionis, se se contulerit, vti saepius vxores principum, ibique sedem fixam struxerit. Tum enim statim noui ciues ciuitati accedunt, simulac ciuium liberi in ciuitate, in qua nati sunt, commorari, iuribusque ciuitatis potiri incipiunt, aut alius peregrinus in alienam terram transmigrauerit, nec a ciuitate ipsa repudietur.)

Quae quidem omnia a nobis proposita cuilibet etiam nostris temporibus reipublicae accommodanda essent, nisi mores nostri quasdam addidissent exceptions, quae morum analogia, temporum consuetudine, aut denique legibus suffulciantur necesse est. Ex quo enim principum dignitas non imperio, rebusque eximie gestis, nec suffragiis, sed natalibus debetur, et hereditate in alios transfertur, non potuit non fieri, quin et principis familiae summi tribuerentur honores. Id quod in Germania in primis locum habet, quippe in qua liberi principum omnes ius imperii adipiscuntur. Horum cum tantum vni regnandi spes affulgeat, reliqui tamen ea non dispoliantur, quippe qui, altero mortuo, ad imperium quoque admitti possunt.

Sed haec, ne in deuerticula quedam extraeagemur, omittamus, nosque ad iura feminis atque masculis in Germania communia conuertamus. Iam vero cum paterna dignitas, vti moniuinus, ad principum vxores liberosque iusto matrimonio procreatos transire soleat, eos ab omni ciuium conditione eximendos esse, facile doceri potest. Nos quidem hoc loco in primis eam dignitatis ex discrimine principis et ciuium ortae partem, qua nullius subest ditioni, neminemque timet, nisi totum populum tanquam corpus consideratum, contemplabimur.

Quoscumque igitur principis dignitate ornatos videmus, eos, siue sint regantes, siue imperio deslitiati, nullius ditioni subesse recte concludimus.

e) Pufend. de I. N. et G. l. 7. c. 2. §. 20.

◆ ◆ ◆

mus. ⁱⁿ Cum igitur principis dignitatem vxori et liberis quoque, non solum principi competere, neque leges impedian, neque mos antiquus renuat, efficitur, ut principum filiae et vxores, manente adhuc aut soluto matrimonio, nec patris, nec mariti potestati subiectae sint, sed uti ita communis dignitas, ita quoque sit commune forum. Nec tamen **vxor**, dignitate illustri ante matrimonium desluita, ita, ut vel alius potestati antea fuerit obnoxia, vel non, quia aequali cum marito principe dignitate solito modo caret, nisi singulari hoc iure exornetur, se subtrahere potest mariti potestati, quamquam ei singularem prae aliis honorem non denegandum esse arbitremur.^{a)} Nec in genere omnes illustres, ubi a principiis consilii sunt, aut alio munere fungantur, in eoque delinquent, tribunal eius effugere possunt.^{b)}

Extant etiam exempla nouissimae memoriae, quae meam confirmant sententiam. Quamquam enim non ignoro, rem hac ratione esse valde ambiguam, cum in contrarium multa afferri possint, is tamen, qui et patris, et principis potestatem seiuixerit, optime rem expedire videatur. Huc accedit, quod exempla nostrae sententiae innimica non sint tantum, ut aliquid efficiant. Quid enim facilis fieri potest, quam ut is, qui totius gentis vires frangere, et funditus cuertere potest, vxoris liberorumque imbecillorum nemine renitente iura imminuat. Ad consuetudinis autem antiquae iustam vim et menitram explendam requiritur hoc, ut is, cuius legibus, aut iuribus aliquid repugnet, tacite et sponte consentiat. Id quod hoc in re plane deesse videmus. Huc v. c. spectant, quae inter Carolum Ludovicum Palatinum eiusque vxorem propter Degenfeldianas acta sunt, itemque quae ex Megapolitanis ad Augustissimum Tribunal propter rixas inter Christianum ducem eiusque coningem perlata fuerunt, ne plura commoneam, v. c. de rixis inter Bavarum ac Palatinum propter Oexelum atramentatio ab hoc in confessu collegii electoralis petitum, aut de contumeliis, quibus se in pactione Stumdorfiensi legati tum Suecorum, tum Polonorum pro more illius aetatis obruerant, aut quae in pacificatione Ultraie & ina inter legatum Gallicum Batauumque, et nuperrime Hague Comitum cum domestico legati gallici acciderant. Haec enim omnia, quemad-

^{a)} Mofers deutscches Staatsrecht Th. 10. S. 353. §. 56.
^{b)} Leyl. sp. 20. m. 11.

quemadmodum etiam dirae illae Serenissimo Ernesto Guelfico, magni filii Ferdinandi fratri Carolique Guillelmi Ferdinandi herois cognato, iustae ad ius gentium pertinent.

Quibus igitur praemissis, si principum in Germania familiam proxime Imperatori esse subiectam opinemur, ipsa iniuriarum acceptarum satisfactionio, quae vxoribus, viduis et filiabus principum debetur, ad liquidum est perducta. Nam eae eodem iure primum Austregarum,^{f)} et hoc vbi non sufficerit, Iudicij Aulici auxilium implorare possunt. Facillor autem dijudicatu quaestio est de satisfactione reliquorum illustrium, quorum hic tantum eorum, qui a consiliis aulicis sunt, vxores commemo-
rare animus est. Hae quidem communis cum maritis subiectae sunt iudicio, qui, siue in alia regione, vt legati, siue in patria suo fungantur munere, principis, cuius negotiis intersunt, ditioni subsunt, atque sic ubi deliquerint, apud eum causam agere debent.^{g)} Eorum igitur feminae iniuriarum, quibus se iniucem onerarunt, coram principe mariti causam agunt, qui eodem modo, ac in reliquorum ciuium causis secundum iura et mores cuiuslibet ciuitatis, eam decidit.

§. VIII.

Cum de legitima iniuriarum satisfactione illustribus hominibus non illustribus praestanda ultimo loco quaestio moueat, satis duximus, vt nonnulla de ea re praemuniremus. Inquirendum enim primum est, cui potissimum ii, qui aut in ea ciuitate, vbi sunt ciues, aut in aliena, iniurias admittunt, iudicio sint obnoxii. Vbi in sua regione ciues deliquerint, apud huius ipsius magistratum causam agendam esse, in promtu est, sed difficilior est quaestio, num princeps, sicuti a ciuibus suis iniuria provocatus fuerit, index in sua causa esse possit. Equidem nullus dubito id affirmare. Tum enia me mouet id, quod principe nemo est superior, nisi populus tanquam unum corpus, neque adeo eius satisfactione facile definiri potest, tum, quod legi principi a populo praescribat, vt salutem reipublicae quoconque modo curet, nulla ratione aduer-

satur.

^{f)} Schubhardt l. c. c. 3. n. 147. *Mojers Familienstaatsrecht Th. 2.* §. 52. et 141.
^{g)} Bynkershoek in opusculis varii argumenti T. I. liber singularis de foro legatorum tam in causa ciuili quam criminali, et Leyf. sp. 530.



satur. Itaque in omnibus causis, quae securitatem communem turbant, neque ad leges fundamentales spectant, ex arbitrio suo, sive ipse, sive per magistratus inferiores ius in delicta inquirendi, eaque plectendi exercere potest. Iam vero nihil refert, vtrum ciuitas iniurias principi ipsi, an aliis ciuii illatis violetur, cum in utroque non viuis, sed totius reipublicae salutem respicere debeat, id quod quomodo fieri possit, deinde videamus. Quod vero ad exteros pertinet, sequenda quoque iuris naturae effata, existimauerim. Hi enim, qui peregrinae aliquius reipublicae ciues iniuriis vexare conantur, quoquis modo adigi possunt, vt damna resarciant, et ab eiusmodi rebus in posterum abstineant. Itaque iudex eius loci, vbi delictum comenititur, vel reus apprehenditur, ab eo propria auctoritate, et publicam, et priuatam exigere potest satisfactionem, prout suae ipsius ciuitatis praeципiunt leges. Quodsi vero delinquentis copia haberi nequeat, eius, cui subest, magistratus literarum requisitorialium, quas dicunt, ope iuxta mores suos et consuetudinem iniurias vlciscitur.

Vbi deinde ciues principem vel regnante ipsum, vel alium ex reliquis illustribus iniuriis petant, hac quoque ratione differt satisfactio. Principem enim si quis iniuriis lacessere ausit, ipsarum iniuriarum atrocium noua orientur genera, scilicet crimina laesae maiestatis, et iniuriae simplices. Neque enim omnis in principem iniuria commissa involuit crimen laesae maiestatis.^{a)} Qui cum duplice modo considerari possit, scilicet tanquam persona publica, seu princeps, et priuata, facile intelligitur, iniuriam, quae ad eius officia publica pertineat, multo maioris esse gravitatis, quam quae ad causas priuatas spectet. Prior dicitur crimen laesae maiestatis, quo ciues sine animo hostili in rempublicam, ea negligunt officia, quae princeps propterea ab iis exigit, quod ipsi maiestatem reali demandarunt. Amplectiunt autem hoc loco sensum angustiorem, nam latior perduellionis, quod dicunt, crimen quoque comprehendit, si quis animo hostili aduersus reipublicae securitatem aliquid molitur.^{b)}

Denique ex ipsa criminis laesae maiestatis definitione fluit, hoc delictum, neque in eiusmodi illustres cadere, qui regimine careant, et non nisi principis dignitatis fruantur iuribus, quae maiestatem personalem, quam dicunt, comitatur, neque etiam ciues alienos eius criminis fieri posse obno-

^{a)} I. vn. C. si quis princ. maledix.

^{b)} I. i. §. 1 et 11. D. ad leg. Iul. mai.

obnoxios. Injuriis igitur feminis illustribus illatis sive hanc dignitatem matrimonio, sive natalibus consequantur, nisi ipsae imperio praesint, ea grauitas inesse nequit. Vt autem matrona imperans iniurias sibi factas recte vlcscitur, sic principi, si feminae laesae non ipsae imperio praesint, in quem eae semper nunc minus, nutuc magis redundare solent, priuatione publiceque ut iis satius fiat, cura est demandata, hac interposita conditione, ut consuetum modum in iure dicundo seruet, v. c. ut legitimam defensionem admittat.

Quae quidem satisfactione etsi pro cuiuslibet ciuitatis legibus, atque principis arbitrio rursus tantopere immutetur, ut certi quid asserti nequeat, id tamen, arbitrabar, non praetermittendum esse, num princeps, et quando iniuriarum poenas posset augere, aut plane remittere. Ciuitium quidem poenarum consilium non in vlcscendo, sed in externa salute propaganda versari, neminem futurum puto, qui neget. Malis quidem illis tam exiguis, quam fieri potest, delinquenti infligendis, maximam omnium legum, communisque salutis ab iis dependentis securitatem ciuitas effice-re studet. Quae cum ita sint, sequitur, ut principi leuissimis, quantum per reipublicae salutem licet, poenis sit vtendum. Itaque ad poenas raro et caute descendere debet, hoc est, non nisi communis securitas necessaria posselet, tumque poenarum gratiam faciendi ius habet, cum id non ciuitati fore noxiun videt. Ipsa autem poenarum natura delictorum indoli accommodetur necesse est, earumque magnitudo metienda est da-mno, quod iam enatum est, vel modo erat metuendum.

Quae si ad iniuriarum satisfactionem a ciuibus praefstandam transferamus, facile intelligitur, principi matronaeque imperatrici in vindicandis iniuriis eius detrimenti potissimum, quod fortasse respublica ex*e*iis cepit, habendam esse rationem, atque tunc grauissimis eas poenis coercendas esse, quid? quod, ut legitimam earum sumat satisfactionem, officio impelli. Eiusmodi iniuria exemplum est crimen laesae maiestatis. Neque ullus dubito, quin in eiusmodi, alisque causis, vbi contra ciuum iniurias fese tuendi nulla datur copia, ita, ut et salus reipublicae periclitetur, capitale supplicium a gliscientis tumultus auctoribus sumi possit.⁴⁾ Quanquam enim illatae illustribus feminis iniuriae crimen laesae

maiestas-

⁴⁾ Grot. de I. B. ac P. I. 1. c. 4. §. 4.

⁵⁾ Rousseau du contract social I. 2. c. 5.



maiestatis non involuant, eae tamen ob summam sanctitatem et reverentiam, quae iis debetur, principisque auctoritatem, quae est reipublicae anima rectrixque ciuium, ut cum Vattelio^{e)} loquar, omnium sunt atrocissimae^{f)} grauissimisque indigent poenis.^{g)} His autem num imperatrix vti, easque adaugere velit, eti penes eius arbitrium sit situm, in quo ciuiusmodi iniuriarum simplicium ab aliis differt satisfactio, clementia tamen ei tanquam singulare principis decus, spectanda esse videtur. Quemadmodum enim, vt Senecae verba mea faciam,^{h)} non is est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit, ita clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non prosumt, qui intelligit magni animi esse inturias in summa patientia pati, nec quidquam glorioius principe impune laeso. Ne tamen quis putet, hanc mera esse spinose et contorte. *Φλοροφέμενα;* parum vero vitae ipsius ratione accommodata, in Theodosii iun. auctoritateⁱ⁾ desumamus, qui rogatus aliquando, cur neminem eorum, a quibus laedebatur, capitis suppicio puniret, pro excelso atque sublimi animo respondit: *Vtinam mihi liceret et mortuos in vitam revocare!* —

^{e)} de droit des gens l. 1, §. 10.

^{f)} Grot. l. c. 1. c. 4. §. 2.

^{g)} Legenda h. 1. sunt potissimum, quae Romae proximo seculo acciderunt, cum Duciis de Crequi, vxor legati Gallici, sclopeta a Corsis esset petita.

^{h)} l. 1. de clement. c. 20.

ⁱ⁾ Erasm. Apoph. l. 8.



HVMA-

HUMANISSIMO STVEBELIO
CAROLVS HENRICVS GEISLER

Equidem permulta poteram addere vel detrahere huic libello **Tvo**, quoniam partim nonnullis locis parcus est exemplorum, quibus ex recenti in primis aetate necessario opus erat, partim nimis fere philosophatur. Sed cohibui virgulam Censoris ac Praefidis, memorque sui praeceptionis Freitagii mei, qui semel iterumque dicere solet, luxuriam adolescentium in scribendo non esse nimis compescendam, quoniam ipsa per se aetate usque rerum exarescat, tandemque in ieiuitatem fere degeneret. Praeterea vero ex rebus gestis exempla plura adiicere nolui, quamquam magnam eorum copiam habebam, ne forte alii Te alieno vitulo litus arasse dicitarent. Itaque recipe hunc libellum **Tvv**, quemadmodum eum ad censemendum mihi obtulisti, non interpolatum, sed integrum, excepto uno solo loco, quem prudentia munerisque ratio deleri iubebat. Iam iudicent homines eruditii de hoc libello **Tvo**, qui totus, quantus, quantus est, **Tvv** est, nec quidquam mihi debet, nisi quae forte ex scholis meis, aut libris, quos **TIBI** commodaui, didicisti. Iudicet in primis **WVRMBIVS** noster, qui **TIBI** eruditionem **FILII** ex commendatione mea concredidit, de hoc libello, ac benignitate sua Te porro amplectatur. **TIBI** quidem nihil sanctius, nihilque religiosus esse debet, quam ut fiduciam **MAGNI PATRIS** in Te positam ex omni parte implas, **FILIVMque**, adolescentem politissimum litterarumque studiofissimum, **PATRISque** vestigia prementem serio ac rite instituas. Quod si feceris, et **TIBI** proderis, et vero etiam familiae **TVAE**, in primis **TITMANNO** nostro, auunculo

Tvo



Tu, multum gaudii offeres, mihi denique ex institutione mea non nihil prae-
mii tribues. Vnum est quod adhuc Te rogo, ut et in posterum quoque Te
conferas ad artes liberales, literasque humaniores, philosophiam seriam,
mathesiu, historias denique, hisque praefidiis plane instructus, quod hucus-
que pro alacritate ingenii Tui feliciter aggressus es, artem nostram por-
ro tractes. O! si omnes alumni disciplinae meae serio secum cogitent, re-
uoluantque animo quotidie, illas artes uicti neglectum sui per omnem vi-
tam, at, si cultae fuerint, fugare barbariem omnem ac rusticitatem ex ar-
te nostra. Sed furdis fere narratur fabula. Tu vale nunc, Stuebeli, me-
que, quod facis, porro ama.

Scriptum in Academia Vitebergica a. d. XXIX. Iunii Anni
M D C L X X X X V I I I .




Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle
004 335 899

3



f
Sl,



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

Farbkarte #13

DE
SATISFACTIONE PERSONIS
INPRIMISQVE FEMINIS ILLVSTRBVS DE
INIVRIIS ACCEPTIS PRAESTANDA

DISPVTATIO IVRIS PVBLICI

QVAM

A V C T O R I T A T E

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

D. CAROLO HENRICO GEISLERO

O R D I N A R I O

A. D. V. IVLII AN. ccccccclxxxix

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

AVCTOR

CHRISTOPHORVS CAROLVS STVEBEL

P AVSITIO MISNICVS.

VITEBERGAE

E K O F F I C I N A D Ü R R I A.

